

CAP. X.

RIMVM ELIGENDVS LO.

P CVS EST QVAM CALIDIS.

SIMVS. Penè quicquid hic de balneis scri

ptum est, Palladius in libri sui primi caput. 40. transtulit. De eius nominis derivatione si quis requirat, videndus Etymologus, & Suidas. Sed illud prætereundum non est quod tradit Spartianus in Adriano, neminem nisi egrum lauari in publico passum ante horam octauam, Martialis certe lib. Epigrammaton. 4. palestra nomine, horam octauam lotioni adscripsit. Epigramma quoniam est pulcherrimum visum est subiungere, est verò ad Euphemum.

Prima salutantes, atq; altera detinet horas

Exercet raucos tertia caufidicos,

In quintam varios exercet Roma labores.

Sexta quies lassis, septima finis erit.

Sufficit in nonam nitidis octaua palestris,

Imperat extructos frangere nona toros.

Hora libellorum decima est Eupheme meorum.

Temperat ambrosias cum tua cura dapes:

Et bonus ætherio laxatur nectare Cæsar:

Ingentiq; tenet pocula parca manu.

Tunc admittite iocos; gressu timet ire licenti

Ad matutinum nostra thalia Iouem.

IPSA AVTEM CALDARIA TEPI-

DARIA QVE. Hic, pro cellis accipiuntur, mox

pro vasis. EX HYPOCAVSTO. Paulopost

hypocaustim vocat, id est fornaculam in qua ignis succen-

ditur, vnde aqua calefit. Papinius Sylvarum libro primo.